

Adam Siber

Dialectices Initiorum Libri Duo

Rostochii: Reusner, 1606

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729951332>

Druck Freier  Zugang



XIV. 10.

12, a - 6.

Cg - 1598^{1.2}
~~C. II. 3/106^{1.2}~~

J. W. R.





DIALECTICES
INITIORUM

LIBRI DVO,

ADAMI SIBERI,

*Pro Scholæ Rostochiensis
classe prima recusi.*



ROSTOCHII,
Typis & sumptibus Christoph.
Reufneri.

Anno M DCVI.



PUERO INGENUO.

*Hoc quoq, doctiloqui manare è fonte Philippi
Quis velit, aut, cupiens dissimulare, queat?
Tu studiosè puer scatebras quãdo hauseris istas,
Ingredere & magni flumen Aristotelis.*

Nathan Chytræus.



DIALECTICES INITIORUM.

Pars prima.

*Filo Ariadnao nisi te Dialectica ducat :
E Labyrinthis non potes ire plagis.*

A. S.

Quid est Dialectica ?

Dialectica est ars (rectè, ordine & perspicuè) docendi.

Quae sunt partes Dialectices ?

Definire, ein ding eigentlich beschreiben :
Dividere, geschicklich abteilen / was zweiseltig ist / auff daß man nicht irr werde : Argumen-
tari, aus gutem grund beweisen / daß es also / vnd
nicht anders sey.

Vnde est nomen Dialectices ?

A græco, *Διαλέγομαι*, quod, colloquor
cum alio, collatis opinionibus, significat, ein
deutliche vnterrede / oder berichtkunfft.

Circa quas res versatur Dialectica ?

Circa quaestiones: hoc est materias omnes
de quibus docendi sunt homines. Quæstio,
ζήτημα seu thema, res, de qua agitur, seu disci-
ptatur, das wort / oder sach / davon man handelt.

A 2

Quo-

*Quomodo differunt Rhetorica &
Dialectica?*

Dialectica rerum summas, propriis ver-
bis, nudè proponit: gehet sein surs auff den
grund. Rhetorica verò addit ornatum in
materiis: quæ orationis copia & splendore il-
lustrari possunt: streiche die sachs aus nach der
leng/ daß sie ein ansehen gewinne/ vnd daß man
sie desto besser verstehen/ vnd begreiffen kan.

Quæ est questionum divisio?

Quæstionum alia est simplex, ἀπλή, quæ
propriè dicitur interrogatio, ἐρώτησις ἢ πύσις,
& est de uno vocabulo, ut, quid sit virtus, quid
penitentia. Alia conjuncta, σύνθετος; quæ est
de oratione aliqua seu propositione, πρόσθετον,
ut: An Christiano concessum sit militare.

Quomodo utrumq; genus tractatur?

Quæstio simplex explicatur definitione
& divisione: conjuncta verò argumentis con-
firmatur.

PRÆDICABILIA.

Quid vocas predicabile?

Prædicare dicere est, seu commemorare,
Inde Prædicabile vox, (κατηγορημα,) quæ de
aliis dicitur, commemoraturq;.

Quid

Quid sunt prædicabilia?

Prædicabilia sunt tituli vocabulorum communium (welche weit reichen / vnd viel vnter sich begreifen) qui ostendunt, quæ vocabula quomodo aliis attribuantur, wie ein wort auff das andere gehe / vnd eins von den andern gesaget vnd geredet wird.

Quot sunt prædicabilia?

Quinq; Species, Genus, Differentia, Proprium, Accidens.

Quid est species?

Species, τὸ εἶδος, est nomen commune (latè patens) proximum individuis: de quibus prædicatur in quæstione, quid sit, ut, *Quid est Plato? Est homo. Quid est Roma? Vrbs.*

Quid Individuum vocant. Dialectici?

Quod Grammatici nomen proprium, ἰδιον, singulare, ut, *Plato*, vel pronomine demonstrativo ostensum, ut, *hic homo*. vel nominis proprii periphrasin, ut, *Trojani belli scriptor*.

Quid genus?

Genus, τὸ γένος, est nomen commune (latius patens) multis speciebus: & prædicatur de eis in quæstione, *Quid sit, ut, quid est homo? Est animal. Quid Dialectica? Est ars.*

Quid differentia?

Differentia, *Ἀφορα*, nomen est commune, quod species ejusdem generis distinguit, & de specie prædicatur in quaestione quale sit (ein scheidewort) ut, homo est animal rationis parviceps.

Quid proprium?

Proprium, *ἰδιον* est, quod uni soli speciei & omnibus ejus individuis, & semper convenit, & quod de specie dicitur in quaestione quale sit: (etwas sonderlichs / dadurch ein ding von allen andern / ohne die seines gleichen sein / abgeteilet wird) ut, *incedere erecto corpore, posse ridere, loqui, convenit homini.*

Quid Accidens?

Accidens, *ἰσχυρὸς* est, quod non per se subsistit, nec est pars substantiæ, sed in alio est mutabiliter, (das nicht betrifft das natürliche wesen eines dings / vnd daran nichts gelegen / obs vorhanden sey oder nicht) ut, *calor in aqua, qua potest rursus frigi fieri.*

PRÆDICAMENTA.

Quid Prædicamentum?

Prædicamentum, *κατηγορία*, est ordo generum & specierum sub uno genere summo (latissimè patenti) quod aut substantiam, aut acci-

accidens aliquod significat, ein Negister in
welchen man die prædicabilia findet nach ihrer
Art.

Quot sunt Prædicamenta?

Prædicamenta sunt decem: Substantia,
Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio,
Quando, Vbi, Situs, Habitus.

SUBSTANTIA.

Quid est Substantia?

Substantia, ὑπόστασις, seu natura, est ens, quod
habet proprium esse; & sustinet accidentia:
ein wesentlich ding / das für sich selbst ist / vnd
ohn welches die andern prædicamenta nicht mö-
gen verstanden werden.

Quis est ordo substantiarum?

Substantia aut est Incorporea, ἀσώματος,
quæ est spiritus: eaq; duplex: Infinita seu cre-
ans, ut, Deus. Finita seu creata, ut, Angeli, ani-
ma. Aut est corporea σωματική; quæ vel sim-
plex, ut, cælum, stella, Elementa: vel mixta seu
concreta, id est, ex Elementis composita. Im-
perfectè, quæ inchoata, ut, Meteora, fulmina,
vapores. Perfectè, quæ absoluta. Inanimata
sine vita, ut, lapis, gemma, metallum. Animata,
vitalis. Non sentiens, ut, planta. Sentiens;
ut, Animal, Irrationale, ἀλογον, ratione carens,

ut, equus, Rationale ἔκλογον; rationis compos,
ut Homo.

Q U A N T I T A E S,

Quid est quantitas?

Quantitas ποσότης, est magnitudo rei vel
numerus, wie groß und wie viel.

Quae est divisio Quantitatis?

Quantitatum alia Continua, alia Dis-
creta,

Quid Continua?

Continua, ἑσῶς, est magnitudo cor-
porum: wenn es immer nacheinander gehet/
und nichts darzwischen kompt.

Quid discreta?

Discreta διαφορεέν, est numerus: hat un-
terschiedliche teil / als wenn der sänger schlegt.

Continua quantitatis species quae?

Linca, Superficies, Corpus.

Quid est Linca.

Linca, ῥαμμή, est longitudo, sine latitu-
dine, & profunditate, die leng / ut, Diameter,
pes, ulna.

Quid Superficies?

Superficies, ἐπιπέδον, est longitudo, &
latitudo,

latitudo, sine profunditate, die breite / vnd weite / ut, Area, campus, via, Iugerum.

Quid Corpus?

Corpus, *σῆμα*, est longitudo, & latitudo, & profunditas, die lenge / weite / vnd dicke / ut, Globus, pila, pyramis.

Quid numerus?

Numerus, *ἀριθμὸς*, est multitudo ex unitatibus collecta, ut, duo, tria, quatuor, quinq, sex, &c.

QUALITAS.

Quid est Qualitas?

Qualitas, *ποιότης*, est forma, per quam substantia est efficax, seu quæ movet sensus & animum, arte / eigenschaft / bewegung vnd gestalt.

Quæ sunt species Qualitatis?

Habitus: Potentiæ naturales: Affectus: Figura.

Quid est Habitus?

Habitus, *ἕξις*, est qualitas comparata ex crebris actionibus; aut corporis, ut, saltatoria: aut Animi, ut, scientia, virtus, dazu sich einer gewehnet hat / vnd das ihm leufftig ist.

¶

Quid

Quid potentia naturales?

Potentia naturales, δυναμικὴς φωνηαί, sunt vires non accersitæ, aut arte in substantias transfusæ, sed in eis natæ, ut, potentia sentiendi, videndi, audiendi, ein angebornes ding / natürliche geschicklichkeit.

Quid affectus?

Affectus, πάθη, sunt aut objecta sensuum, ut, Visus; lux, & color. Auditus; soni. Olfactus; odor. Gustus; sapor. Tactus; caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas. Aut motus cordis, ut, læticia, spes, tristitia, metus, was einen beweget.

Quid Figura?

Figura, σχῆμα, est modus, aut positus quantitatum, ut, Circulus, gestalt / vnd wie ein jeglich ding s̄het.

RELATIO.

Quid sunt Relativa?

Relativa, ἀποθετικὰ ἢ, sunt quæcunque hoc ipsum quod sunt, aliorum sunt, hoc est, quæ se mutuo respiciunt, atque exponunt: da etnes von den andern seinen Namen bekommt / vnd eines ohn das ander nicht sein kan / ut, Pater, Filius. Magister, discipulus. Maritus, uxor.

Quot sunt præcipua de Relativis.

Regula? Dux.

Qua

Qua est prior?

Omnis Relatio versatur inter duo, quorum alterum vocatur fundamentum, alterum terminus.

Declara hanc Regulam?

Fundamentum, ἀρχή, καὶ τὸ πεμέλιον: est res à quâ oritur relatio. Terminus, τὸ τέλος, πέρας, est res, ad quam ordinata est relatio: Inter hæc relatio σχέσις: est ipsa applicatio, seu ordo fundamenti ad terminum.

Da exemplum?

Cùm de patre loquimur; Fundamentum est persona, quæ genuit: terminus est persona genita: ordo à patre ad filium, est relatio.

Qua est regula altera?

Cuilibet Relativo respondet suum correlativum.

Da exemplum?

Vt cum dicimus, Cambyfes est filius, nihil intelligi potest, nisi addas cuius sit filius, ut, Cambyfes est filius Cyri.

A C T I O.

Actio, τὸ ποιῆν, est applicatio agentis ad patiens, qua fit mutatio aliqua in patiente, wenn man etwas thut.

Qua

Qua est actionum divisio?

Actiones alia sunt naturales, quae à natura proficiuntur, ut, generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, motio, motus localis. Alia voluntariae, quae ab hominis potestate oriuntur. Oeconomicae, ut, liberos fovete. Politicae, ut, dicere sententiam in senatu. Ecclesiasticae, Sacramenta, & Sacrificia.

P A S S I O.

Quid est passio?

Passio, τὸ πάσχειν est nomen correlativum actionis, & significat receptionem actionis, & effectus novi in patiente, was sich zum thun schicket / ut, calefieri, doceri.

Q V A N D O.

Quid est quando?

Quando, τὸ πότε, significat circumstantiam, quae est tempus, hoc est, durationis spatium, zeit / wie lang ein ding wehret / ut, heri, hodie, cras.

V B I.

Quid est ubi?

Ubi, τὸ ποῦ; significat circumstantiam, quae est locus, ubi quid consistit: statt vnd raum / da etwas ist / ut, domi, foris, sursum, deorsum.

S I.

SITVS.

Quid Situs?

Situs, τὸ κείσθαι, significat statum, θέσιν, seu positum corporis, & partium ejus, ut, jacere, stare, supinum esse, pronum esse, wie sich etwas stelt.

HABITVS.

Quid Habitus?

Habitus, τὸ ἐχέειν, est vestiendi ratio, seu ornatus, wie etwas gekleide, vnd geschmücket ist / ut, Tunicatus, capillatus.

DEFINITIO.

Quid definitio?

Definitio ὁρισμός, est oratio, quæ rem brevissimè explicat.

Quotuplex est Definitio?

Duplex: Nominis & Rei.

Quid definitio Nominis?

Definitio Nominis, ὀνοματώδης, est qualificatio; non falsa vocabuli interpretatio: was ein wort heisse / vnd von wannen es seinen nomen bekomme; ut, *Philosophia, est studium sapientia, Fides est, cum fit quod dicitur.*

Quid definitio Rei?

Περγυρωτώδης, est oratio, λόγος, naturam; aut causas; aut partes; aut accidentia rei exponens;

nens, was ein ding sey/ vnd was sein rechtschaffen wesen vnd thun sey.

Quot sunt Definitionis rei formæ?

Quatuor. Essentialis, Causalis, collecta ex coacervatione Partium, collecta ex frequentia Accidentium.

Quid est Essentialis definitio?

Essentialis *ἁπλοῦς* definitio, est oratio, quæ constat ex genere & differentia, ut, *Homo est animal ratione præditum.*

Quid Causalis definitio?

Ἀπλοῦς, est oratio, quæ disertè causas vel omnes, vel aliquas recenset, ut rei naturam vel usum declarat, ut, *Domus est ædificium ex lignis & lapidibus extractum.*

Quot sunt cause?

Quatuor. Efficiens, Materia, Forma, Finis.

Quid Efficiens?

A quo fit aliquid: der Meister der etwas macht; ut, *Vulcanus.*

Quid Materia?

Vnde fit aliquid: daraus etwas gemacht wird; ut, *ferrum.*

Quid Forma?

Ipsa rei species, quam induit materia: die gestalt/die ein ding bekommt; ut, *Ænea Clypeus.*

Quid

Quid finis?

Cujus gratia fit aliquid: wo zu man etwas gebrauchet / ut, ad tela hostium arcenda.

Quid Definitio collecta ex coacervatione partium?

Definitio partialis, ἡ μέγας, est oratio, recitans partes rei, quæ declaratur, ut, Homo est, qui anima & corpore constat.

Quid Definitio collecta ex frequentia accidentium?

Definitio ἡ συμπεθενης est oratio, speciei adjungens accidentia, quæ discernant eam ab aliis rebus, ut, Apis est insectum, quod mel conficit, & favos confingit, & ceras.

DIVISIO.

Quid est Divisio?

Divisio, διαίρεσις, distributio est, vel vocabuli in sua significata: vel subjecti in membra, partes, & accidentia.

Quos sunt divisionum rei forma?

Quatuor.

Quæ est prima?

Distinctio, ἀρίθμησις, quæ est enumeratio variarum significationum alicujus vocabuli, wenn ein wort mancherley ding bedeutet / daß man anzeige / in welchem verstand man es gebrauchen wolle / daß nicht ein getieß daraus werde /

verbet ut, Aries animal significat, & signum caeleste,
& instrumentum bellicum.

Qua est secunda?

Divisio generis in species, διαίρεσις τῆ γενεῆς
εἰς εἶδη, per differentias, ut animalium aliud ra-
tionis compos, ut Homo: aliud sine ratione, ut,
bos, equus.

Qua tertia?

Partitio, μερομοῖς, totius in sua membra,
τῆ ὅλης εἰς μέρη: ut, corpus humanum in caput, col-
lum, thoracem, dorsum, ventrem, brachia, pedes.

Qua quarta?

Distributio, ἀπαιρέθησις, Subjecti in acci-
dentia, ut, animalium aliud nigrum, aliud album,
aliud neutrum.

PROPOSITIO.

Quid est Propositio?

Propositio, ἀπόφανσις, enunciatio, est ora-
tio indicativa, unica & integra, verum aut fal-
sum sine ambiguitate verborum significans,
ut, Labor omnia vincit improbus. Non omnia possu-
mus omnes.

Qua est Propositionum divisio prima?

Propositionum aliae sunt Categoricalae: aliae
Hypotheticae.

Quid est Categoricala?

Categoricala, seu assertiva, ἀσκήνη: est una,
sim-

simplex, indicativa oratio, quæ perspicua asse-
veratione unum quiddam affirmat, aut negat,
ut, *Veritas odium parit. Homo non est lapis.*

Quid Hypothesica?

Hypothesica seu composita, ἡ συνθετικὴ, est
oratio, in qua duæ categoricæ connectuntur
per Grammaticam particulam, ut:

Si nihil attuleris, ibis Homere foras,

Quot sũnt partes propositionis Categoricæ?

Tres. Subjectum, Prædicatum, & Co-
pula.

Quid est Subjectum?

Subjectum τὸ ὑποκειµενόν, est in Gramma-
tica constructione, qui verbum præcedit, no-
minativus, de quo aliquid dicitur, ut, *Cicero.*

Quid Prædicatum?

Prædicatum, τὸ κερτυροῦµενόν, est descri-
ptio sequens copulam, quæ subjecto tribuitur,
ut, *Orator.*

Quid Copula?

Copula, est verbum substantivum, quod
est nexus seu vinculum, quo prædicatum sub-
jecto alligatur, ut, *Cicero est orator.*

Quid hoc loco observandum?

Hanc copulam in verbis inesse sæpè per se-

B

se,

se, ut, Cicero defendit Milonem, id est, est defensor
Milonis. Cicero exulat, id est, est exul.

Quæ est altera divisio Propositionum?

Propositionum Categoricalarum alia est af-
firmativa, alia negativa.

Quid Affirmativa?

Ajens, κατηφορικῆς, quæ asseverat aliquid
adesse subiecto, ut, paries est albus. Virgilius est
Poëta.

Quid Negativa?

Negans, ἀποφατικῆς: quæ pronunciat ali-
quid abesse subiecto, ut, Epicurus non est philoso-
phus. Non uni dat cuncta Deus.

Quæ est Propositionum divisio tertia?

Propositionum alia est Universalis, alia
Particularis, alia Indefinita, alia Singularis.

Quid est Propositio Universalis?

Generalis, ἡ καθόλου, in qua signum uni-
versale additur subiecto, ut completatur om-
nia, de quibus subiectum dici potest, ut,
Omnis homo mendax. Nullus ad amissas ibit ami-
cus opes.

Quæ sunt signa Universalis?

Omnis, quilibet, nullus, nemo.

Quid Particularis?

ἡ μερική, specialis: in qua signum Parti-
colare additur subiecto, ut completatur non
omnia, sed aliqua, seu multa, seu pauca, de
quibus

quibus subiectum dicitur, ut, *Aliqui homines iu-
ment Deum. Quidam Indi vivunt solo odore.*

Quae sunt signa Particularia?

*Quidam, aliquis, nonnulli, plerique, re-
liqui.*

Quid Indefinita?

*ἀδιόριστος, in qua subiectum est vocabu-
lum commune, sine signo positum, ut, anima
hominis est immortalis. Poetica est suavissima Mu-
sica.*

Quid est singularis?

*ἡ κατ' ἐκαστόν, in qua subiectum est propri-
um nomen, seu individuum, ut Cicero est ora-
tor. Vnus Pelleo juveni non sufficit orbis.*

*Quae est quarta propositio-
num divisio?*

*Propositio-
num alia est vera, alia falsa.*

Quae est vera?

*Ἀληθής, asseveratio cum re consentiens, ut,
Caelum semper movetur: Vsus & experientia domi-
nantur in artibus.*

Quae falsa?

*Ψευδής, oratio dissentiens à re, ut, Deus est
autor peccati. Caelum est stabile, terra mobilis.*

*Quae est quinta divisio propositio-
num?*

*Propositio-
num alia Necessaria est, alia Cō-
tingens, alia Impossibilis.*

B 2

Quae

Quæ necessaria?

Αναγκαία, in qua de specie aut genus, aut differentia, aut proprium, aut tota definitio prædicatur, ut, Homo est animal, Homo est rationalis, Homo loqui potest.

Quid contingens?

Ενδεχομένη, in qua accidens de subjecto prædicatur, ut, lapis est albus: Est niger.

Quid Impossibilis?

Αδιώατο, inepta, cum pugnantia junguntur, ut, Cæcitas est visus.

Quæ sunt propositionum accidentia?

Oppositio & Conversio.

Quid est Oppositio?

Oppositio, αντίθεσις, pugna est duarum propositionum, quarum altera est affirmativa, altera negativa, ut, Aeneas vicit Turnum: Aeneas non vicit Turnum.

Quot sunt Species Oppositionis?

Tres. Contrariæ, Subcontrariæ, Contradictoriæ.

Quæ Contrariæ?

Contrariæ, ἐναντίαι, adversæ sunt duæ universales, quarum altera est affirmativa, altera negativa, eorundem extremorum sine ambiguitate, ἀμφιβολία, intellectuum, ut, Omnes herbe sunt salubres corpori hominis: Nulla herba est salubris corpori hominis.

Quæ

Quæ Subcontrariæ?

ἁπλοῦς, dux, sub contrarijs positæ, particulares, quarum altera est affirmativa, altera negativa, ut, *Quædam herba sunt salubres corpori hominis: Quædam herba non sunt salubres corpori hominis.*

Quæ Contradictoriæ?

Disparatæ, *ἀντιφατικὰ*, Voiversalis affirmativa, & Particularis negativa, seu Voiversalis negativa, & Particularis affirmativa, ut, *Omnes herbae sunt salubres corpori hominis: Quædam herba non sunt salubres corpori hominis. Nulla herba sunt salubres corpori hominis. Quædam herba sunt salubres corpori hominis.*

Quot sunt regulæ seu leges Oppositionum? Tres.

Quæ est Prima?

Contrariæ nunquam possunt simul esse veræ, ut, *Omnis homo est animal. Et Nullus homo est animal. Sed in materia contingenti possunt simul esse falsæ, ut, Omnia poma sunt flava: Nulla poma sunt flava.*

Quæ altera?

Subcontrariæ nunquam simul falsæ esse possunt: sed in materia contingenti possunt simul esse veræ, ut, *Quædam poma sunt flava: Quædam poma non sunt flava.*

Quæ tertia?

Impossibile est duas contradictorias simul veras esse, aut falsas, ut, *Omnis homo est animal. Quidam homo non est animal.*

Quid est Propositionum Conversio?

Partium translatio, *ἀντιπροσφῆ*: quando ex prædicato fit subjectum: & ex subjecto fit prædicatum.

Quot sunt conversionis modi?

Tres. Simplex, per Accidens, & per Contrapositionem.

Quid conversio simplex?

Cum manentibus iisdem signis, manente & eadem qualitate, partes in præposterum mutantur.

In quibus Propositionibus talis fit permutatio?

In universali negativa, & particulari affirmativa, ut, *Nemo timens Deum contaminat se adulterio. Nemo contaminans se adulterio timet Deum. Et: Quædam fortitudo est virtus. Quædam virtus est fortitudo.*

Quæ est conversio per accidens?

Cum ex prædicato fit subjectum: & ex subjecto fit prædicatum, manente eadem qualitate, sed mutatis signis.

Vbi nam

Ubinam talis fit Conversio.

In universali affirmativa, ut :

Omnis homo est substantia.

Quaedam substantia est homo.

Quid est conversio per contrapositionem ?

Cum ex prædicato fit subjectum, & ex subjecto prædicatum, ita ut remotione prædicati in conversa, removeatur subjectum. Talis conversio fit in universali affirmativa, ut, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, is salvus erit. Ergo, salvus non est, qui nec credidit, nec aqua sacra ablutus est.*

EXEMPLVM EXERCITATIONIS.

Fagus est arbor.

Hec oratio cur dicitur Propositio ?

Quia certum quiddam sine ulla ambiguitate significat.

Quæ sunt hujus Propositionis partes ?

Fagus; subjectum : Est, copula: Arbor, Prædicatum.

Quenam est Propositio ?

Categorica: quia simplex.

Quælis ?

Affirmativa, quia de subjecto prædicatum assertivè dicitur.

B 4

Quanta

Quanta?

Indefinita: Quia nomen hic commune
sine signo ponitur.

Da Universalem?

Omnis Fagus est arbor.

Da hujus Contrariam?

Nulla Fagus est arbor.

Da Particularem?

Quædam Fagus est arbor.

Da Subcontrarias?

Quædam Fagus est arbor.

Quædam Fagus arbor non est.

Da Singularem?

Fagus Tityri est arbor.

Da Contradictoriam?

Fagus Tityri non est arbor.

*Quid, necessarianè est hæc Propositio,
an Contingens?*

Necessaria, quia de specie dicitur genus.

*Quomodo convertitur hæc, Omnis
Fagus est arbor?*

Per accidens. Quædam arbor est Fagus.

ARGUMENTATIO.

Quid est Argumentatio?

Oratio: *ἡ μὲν, ἡ λέγει*: qua quis rei de
qua dicit, fidem facere conatur.

Qua

Quæ sunt Species Argumentationis?

Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum, quibus additur Sorites.

Quid est Syllogismus?

Syllogismus, latinè ratiocinatio, est oratio, in qua positis & concessis quibusdam, aliud necessariò sequitur, propter ea, quæ posita sunt.

Quot sunt partium Syllogismi nomina?

Duæ propositiones ante conclusionem, quarum prior Propositio; posterior dicitur Assumptio.

Quot sunt in his termini simplices?

Tres: Major, τὸ μείζον ἀρχον, qui est quæstionis prædicatum. Minor, τὸ ἐλάττω, qui est subiectum. Medius, τὸ μέσον, seu communis, qui bis ponitur ante conclusionem, & est causa, quare subiectum & prædicatum in affirmativa conclusione conjungantur; & quare in negativa distrahantur.

Quæ est conficiendi Syllogismum ratio facilissima?

Hæc est: Omnis quæstio seu propositio duabus partibus constat, subiecto & prædicato, ut, *Homo est substantia*. Hac propositione posita, tertium terminum quæres, hoc est, causam, cur de subiecto prædicatum dicatur: Est, quia est animal. Hanc igitur causam, quæ

B ;

vocatur

vocatur medium, primum cum majore jun-
ges, & habebis primam propositionem Syl-
logismi, ut, *Omne animal est Substantia*. Deinde
eandem junges cum minore, & habebis se-
cundam propositionem, ut, *Omnis homo est ani-
mal*. Ex his jam necessariò sequitur Conclu-
sio: *Ergo omnis homo est substantia*.

Quot accidunt Syllogismo?

Duo: Figura, & Modus.

Quid est Figura?

Figura, *ἁρμῆ*, est ordo terminorum, qui
variatur collocatione medij.

Quid Modus?

Modus, *τέρον*, index quantitatis, & qua-
littatis.

Quot sunt Syllogismorum figurae?

Tres. Prima, Secunda, Tertia.

PRIMA FIGURA.

Qua est figura prima?

Talis ordo Propositionum Syllogismi, ut
medius terminus sit subiectum in majore, &
praedicatum in minore.

Quot sunt modi hujus Figurae?

Quatuor. Barbara, Celarent, Darij,
.oireF

Quid A significat?

Universalem affirmativam propositio-
nem,

nem, hoc est, rem ex toto confirmandam, ja
ins getmein.

Quid E?

Univerſalem negativam, hoc est, planè
refellendam: Nein durchaus.

Quid I?

Particularem affirmativam, ja zum teil.

Quid O?

Particularem negativam, Nein zum teil.

Da primum modum?

- Bar Omne animal est Substantia,
ba Omnis homo est animal.
ra Ergo, Omnis homo est Substantia.

Da alterum?

- Ce Nullum animal est lapis,
la Omnis homo est animal.
rent Ergo, Nullus homo est lapis.

Da tertium?

- Da Omnis turpitude est fugienda.
ri Quædam voluptas est turpis.
j. Ergo, Quædam voluptas est fugienda.

Da quartum?

- Fe Nulla lex naturæ est mutabilis.
ri Lex prohibens adulteria est lex naturæ.
o. Ergo, Lex prohibens adulteria non est
mutabilis.

SECVN-

SECUNDA FIGURA.

Quæ est secunda figura?

Talis ordo Propositionum Syllogismi, ut medius terminus sit prædicatum in majore, & in minore, (gehet alweg nach) unde conclusio negativa necessariò sequitur.

Quot sunt modi?

Quatuor. Cesare, Camestres, Festino, Baroco.

Da exemplum Cesare?

- Ce* Nulla stella consumitur.
sa Omnes Cometæ exiguo tempore consumuntur.
re Ergo, Nullus Cometa est stella.

Da Camestres?

- Ca* Omnes stellæ sunt corpora perpetua.
me Nullæ trajectiones sunt corpora perpetua.
stres Ergo, Nullæ trajectiones sunt stellæ.

Da Festino?

- Fe* Nulla natura elementaris habet infinitas notitias.
fi Mens humana habet infinitas notitias.
no Ergo, Mens humana non est elementaris.

Da Baroco?

- Ba* Omne corruptibile compositum est ex elementis.
ro Mens humana non est composita ex elementis.

Ergo,

co Ergo, Mens humana non est corruptibilis.

TERTIA FIGVRA.

Quæ figura tertia?

Talis ordo Propositionum Syllogismi, ut medius terminus sit subjectum in majore & minore (gehet alweg vor) unde conclusio particularis necessario sequitur.

Quot sunt modi?

Sex. Darapti, Felapton, Disamis, Datifi, Bocardo, Ferison.

Da Darapti?

Da Omnes *σοφῶν* conditæ à Deo in natura hominis, sunt res suo genere bonæ.

ra Omnes *σοφῶν* sunt affectus.

pri Ergo, Quidam affectus sunt res suo genere bonæ.

Da Felapton?

Fe Nullum justum imperium est excutiendum.

la Omnia justa imperia habent aliqua onera duriora, & aliqua errata.

pton Ergo, Aliqua onera duriora, & aliqua errata non sunt excutienda.

Da Disamis?

Di Ius naturale concedit defensionem contra latrones.

Ius na-

sa Ius naturale est jus divinum.
mis Ergo, Ius divinum concedit defensionem
contra latrones.

Da Datisi?

Da Omnis cognitio virtutum necessaria est
oratori.

ri Cognitio virtutum est Philosophia.

si Ergo, Philosophia est necessaria oratori.

Da Bocardo?

Bo Provocatio ad iudicem non est prohibita
Christianis.

car Omnis provocatio est, venire in iudicium,
seu certare in iudicio cum adversario.

do Ergo certare in iudicio non est prohibi-
tum Christianis.

Da Ferison?

Fe Nulli sapientes sunt miseri.

vi Quidam sapientes sunt servi.

son Ergo, Quidam servi non sunt miseri.

REGVLÆ.

*Quot sunt generales omnium argumen-
tationum Regula?*

Tres.

Qua est prima?

Ex puris negativis nihil sequitur.

Quare necesse est alteram propositionem
esse affirmativam.

Da Ex-

Da Exemplum?

Nullus adulter est latro.

Nullus adulter est homicida.

Ergo, Nullus homicida est latro.

Quae est altera?

Ex puris particularibus nihil sequitur.

Quare altera propositionum universalis
fit oportet.

Da Exemplum?

Aliqui reges sunt clementes.

Nero est rex.

Ergo, est clemens.

Quae Tertia?

Conclusio semper deteriorem partem
imitatur. Quare si altera propositionum ne-
gativa erit; negativa erit & conclusio: sin ve-
rò particularis; erit talis etiam conclusio.

SYLLOGISMVS EX- POSITIVVS.

Quid est Syllogismus Expositivus?

Expositivus, *ἐπιθετικὸς*, seu communis,
est, in quo medium est singulare seu indivi-
duum, cujus ordo ad tertiam figuram con-
gruit.

Da Exemplum?

Hæc res urit.

Hæc res est ignis.

Ergo,

Ergo, Ignis urit. Et:
Petrus non tenuit imperium.
Petrus tenuit claves Ecclesie.
Ergo, Claves Ecclesie non sunt impe-
rium.

ENTHYMEMA.

Quid est Enthymema?

Mancus, mutilatus, & imperfectus Syl-
logismus: quia fit recitata una propositione,
& addita conclusione.

Quomodo?

Alias major omittitur, ut:

Iusticia est virtus.

Ergo, Iusticia est expetenda.

Alias minor, ut:

Omnis virtus est expetenda.

Ergo, Et iusticia.

Quor constat Enthymema partibus?

Duabus.

Prior vocatur antecedens ἡγουμένον, ut:

Cesaris causam dii adjuverunt:

Posterior consequens, ἐπομένον,

Ergo, melior existimanda est.

INDUCTIO.

Quid est Inductio?

Inductio, ἐπαγωγή, est ex singularibus
enumeratis constituere universalem.

Da

Da exemplum?

Vinum Creticum calefacit:

Item Italicum: item Khenanum: nec ul-
lum dissimile exemplum monstrari potest.
Ergo, Omne vinum calefacit.

Quae sunt Inductionis partes?

Antecedens *ἡγούμενον*, quod rerum singu-
larium enumeratione constat, ut:

Astyagis imperium crudele fuit, ideoq;
minime diuturnum.

Eodem modo Tarquinij, Neronis, nec
diversa exempla facile reperiri possunt. Con-
sequens, *ἐπιμένον* universale ipsum ex singula-
ribus collectum:

Ergo, nulla imperia crudelia sunt diu-
turna.

EXEMPLVM.

Quid est Exemplum?

Exemplum *παράδειγμα*, est forma argu-
mentandi, qua singulare per aliud singulare
confirmamus propter similem rationem.

Da exemplum?

Maxima pars generis humani in dilu-
vio perijt propter libidines.

Ergo, & postea sine ulla dubitatione pu-
niantur libidines. Sic:

C

Socrates

Socrates Philosophus injurias diffimulavit:

Ergo, idem cæteris faciendum.

SORITES.

Quid est Sorites?

Sorites est argumentatio, in qua prædicato primæ propositionis aliud prædicatum attribuitur necessariò cohærens, eodemq; modo ulterius proceditur per gradus, donec in conclusione ultimum prædicatum additur primæ propositionis subjecto.

Da exemplum?

Homo est animal.

Animal est vivum corpus:

Vivum corpus est substantia.

Ergo Homo est substantia.

Da aliud?

Iusticia est virtus:

Virtus est habitus animi:

Habitus animi est qualitas usu & ratione comparata.

Ergo Iusticia usu & ratione comparatur.

DIA.

DIALECTICES
INITIORVM.

Pars altera.

*Hic majora quidem, sed non tamen omnia dantur,
Quæ Cicero, & doctus tradit Aristoteles.*

A. S.

Quomodo definit Dialecticam Cicero?

Dialectica est ars, quæ docet rem universam distribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambiguam primum videre, deinde distinguere. Postremò habere regulam, qua vera & falsa judicentur: & quæ, quibus proposita sint, quæq; non sint, consequentia. Bruto.

Quomodo Petrus Hispanus, seu Aristoteles potius?

Dialectica est ars artium, τέχνη ἀρτιῶν τέχνων, scientia scientiarum, ἄσκησις ἀρτιῶν ἀσκησιῶν: ad omnium methodorum principia viam habens, πρὸς ἀρτιῶν ἢ μεθόδων ἀρχαίς εἶδόν ἔχουσα (serviens omnibus artibus & scientijs) eine Kunst / die da weiset / wie man lernen vnd lernen sol / das man eigentlich vnd richtig damit vmbgehe.

C 2

Quare

Quare initio traduntur Prædicabilia?

Quia, cùm in definitionibus explicantur vocabula angustiora per ea, quæ latius patent; primùm omnium tradi oportet gradus vocum: & quasi cognationem ostendi vocabulorum.

*Quare prædicabilia etiam Uniuersalia,
οι καθόλου λόγου appellatur?*

Ideo quia semper arctiora declarantur per communiora. Nec enim vocabulum angustius ponitur loco prædicati, *ἢ τὸ πρῶτον*.

*Quare primus gradus Vocabulorum
vocatur Species?*

Quia est idea, seu forma quæ mentis agitatione à rebus elicitur. Mens enim sumit ab individuis imaginem: quam secum circumferens, accommodat ad omnia cognata individua, ut, qui semel vidit equum, circumfert secum imaginem cogitatione quasi sculptam; quam intuens, ubicunq; equos conspicatur, agnoscit eos. Species, ist ein mufter / oder gestalt des / das einer in Kopff gefast hat / als eines Pferdes / welches so es für einem stehet / so stehet er ein Individuum.

Quomodo differunt Species & genera?

Infimæ Species, τὰ ἐλαττωτάτα εἶδη, dicuntur Species Specialissimæ, εἰδικώτατα εἶδη; quæ sunt proximæ individuis. At summum genus, τὸ ἀνωτάτων, dicitur generalissimum, *ὑπερνωτάτων*.
Inter

Inter hæc cætera dicuntur Species Superiorum, & genera inferiorum, ut:

Substantia,
Corpus animatum,
Animal,
Homo.

Quotuplices sunt differentia?

Duplices. Quædam generales, *γενικαί* dicuntur, quæ multis speciebus conveniunt, ut, *sentiens*. Quædam specificæ & ultimæ, *ειδοποιαι*, quæ uni tantum speciei competunt, & ad substantiam referuntur, ut, *rationis particeps*.

Quor sunt modi proprii?

1. Quatuor: Aut enim proprium est, quod uni speciei tantum convenit, sed non omnibus individuis, ut, *feri heroicum bellatorem, soli homini convenit, sed non omni*.

2. Aut, quod omnibus individuis convenit, sed non soli speciei, ut, *esse bipedem*.

3. Aut, quod soli speciei & omnibus individuis, sed non semper, ut, *Canescere*.

4. Aut deniq; *κυσωτικος*: quod uni soli speciei, & omnibus ejus individuis, & semper convenit, ut, *incedere erecto corpore*: Loqui.

Quid interest inter Differentiam & Proprium?

Differentia partem significat, quæ ad rei naturam pertinet, ut, *rationis particeps*: Mens

C 3

enim

anim altera est pars hominis. Proprium verò facultatem naturalem, seu ad functionem certam propensionem, & aptitudinem.

Quotuplura sunt Accidentia?

Accidentium alia separabilia, ἁλωεῖσι, ut, frigus ab aqua: noticia à mente: Jactitia & infirmitas à corde: Alia inseparabilia, ἀχωεῖσι: ut, Calor in igne: nigredo in corvo: quae, nisi cogitatione, non separantur.

Quomodo dicuntur Accidentia de subjectis?

Non per abstracta: Sed per concreta.

Quid est Abstractum?

Substantivum nomen, (ut loquuntur Grammatici) τὸ ἀπνευμάσιον: quo nuda species seu forma seorsim & cogitatione considerata significatur, ut, Albedo.

Quid concretum?

Adjectivum, τὸ συννευμάσιον, seu conjunctum, hoc est, subjectum habens formam, ut, Albus. Dicimus igitur paries est albus: non; paries est albedo.

Quoruplex usus est doctrina Prædicabilium?

Quadruplex. Primum distinguunt vocabula in serie cujusq; prædicamenti. Deinde conducunt ad definitiones, quia semper angustiora vocabula explanantur per aliqua communio-

muniora. Adhæc profunt ad judicandum:
quæ voces quibus rectè jungi possint. Postre-
mò necessaria à contingencibus seu fortuitis
discriminant.

PRÆDICAMENTA.

*Quod est discrimen predicabilium &
predicamentorum?*

Prædicamenta sunt τῆς πρῶτης ἑστῆτος ἐπι-
ματῶ; proximæ rerum appellationes, seu
exempla prædicabilium certis classibus dige-
sta, ut, Animal, homo. Prædicabilia verò τῆς
δευτέρας, ipsarum appellationum distinctiones,
ut, Genus, Species.

*Quod est summum in rerum natura
Vocabulum?*

Ens, τὸ ὄν, quod est, res, Esse, quod o-
mnium primum conditis à se rebus dat Deus.

Quæ est divisio Entis?

Ens, aut est substantia, aut accidens.

Quid Substantia?

ἑστῆτα : natura : essentia : existentia : non in-
digens re altera, ut sit.

Quomodo Substantia dividitur?

In primam, & secundam.

Quæ prima?

ἡ ἀνεκχώρητος, quæ est αἰαδύτης, sensilis, quæ

sub sensus cadit, singulare seu individuum,
ut, hic homo, hic equus.

Quæ secunda?

ἡ δευτέρα; νοητος: quæ animo concipitur,
ipsæ species & genera, ut, homo, animal, hoc est
Ideæ, quæ extra intellectionem nihil sunt.

*In Substantiarum ordine ubinam collo-
candæ sunt partes?*

Eo in loco, quo totum, ut, Caput, pedes,
pectus, sunt partes animalis, & revera Sub-
stantiæ.

*Quæ sunt Substantiarum proprietates
seu attributa? Tres.*

- 1 Substantiæ non sunt in subiecto, ut acci-
dentia, sed ipsæ sustinet accidentia, & pro-
prium esse habent.
- 2 Substantia nec magis recipit, nec minus,
ut, Hercules non est magis homo, quàm Paris.
- 3 Substantiæ diversæ non dicuntur contra-
riæ, sed disparatæ, ut, Ignis & aqua: lupus & oris.

QUANTITAS.

*Cur post Substantiam mox recensetur
Quantitas?*

Quia numerus comitatur res quaslibet, &
magnitudo ita hæret in substantia corporea, ut
nunquam eam prorsus exuat.

Quan-

Quantitatum alia est continua, alia discreta.

Quid Continua?

Continua, seu continuata est, quæ coherentes, & quasi cognatas partes habet, ut, *linea, Superficies: corpus.* Lineam, seu longitudinem sibi propositam habet iter faciens. Superficiem seu latitudinem emturus agitur. Corpus, extructurus domum.

Quæ vocabula ad lineam pertinent?

Quibus rerum mensura in longum sumitur, ut, *digitus: palmus: pes: passus seu ὀργωα: uncia: dodrans vel spitama: cubitum, & ulna, decempeda, pertica, funiculus, stadium, milliare, & similia;* quibus longitudo tantum consideratur.

Quæ ad superficiem, seu planum, extremitatem, & libramentum?

Iugerum: actus: semita: via: area:

Quæ ad corpus?

Globus: pila: Sphæra: pyramis: cubus: tessera.

Idem ne significat corpus in Quantitate, & in Substantia?

Corpus in Substantia significat rem, quæ habet materiam, hoc est, corpus physicum, ut, *Cælum.* In quantitate verò magnitudinem cogitatione distinctam à materia, hoc est, corpus mathematicum.

Quid Quantitas discreta?

Quæ partes habet sejunctas, & interruptas, ut, numerus, oratio. Atq; huc referuntur vocabula mensurarum: ponderum: numismatum: as cum suis partibus: talentum: mina: denarius: tetuncius.

Quare oratio recensetur in hoc Prædicamento?

Propter diversa intervalla temporum; & commata, ac cola.

Quot sunt Quantitatis proprietates?

Tres.

- 1 Quantitatum per se nulla est efficacia.
- 2 Quantitatibus propriè conveniunt relationes, ut, æquale, inæquale.
- 3 Quantitates non recipiunt magis, & minus: sed majus & minus.

QUALITAS.

De appellatione hujus Prædicamenti quid Cicero?

Qualitates, inquit, appellavi, quas ποιότητες græci vocant: quod ipsum apud Græcos non est vulgi verbum, sed Philosophorum.

Quæ est prima speciei hujus Prædicamenti, qui est Habitus, divisio?

Habitus sunt vel corporis, ut, Palestrica: saltatoria: jaculatoria: vel animi, ut, scientia, virtus.

Quo-

Quotuplices sunt habitus animi?

Alij sunt habitus intellectus, *ἢ ἕως ἀσθενούντων*: alij voluntatis, *ἢ ἐως ἀσθενούντων*.

Quomodo vocatur genus habitum intellectus?

Noticia, quæ est aut incerta, & vocatur Opinio, Suspicio, Conjectura.

Aut certa, ut, artes, & scientiæ.

Quæ est divisio Habituum voluntatis?

Habituum voluntatis alius bonus est, ut, virtus, quæ est habitus secundum rectam rationem, ut, Prudentia: Iustitia: fortitudo: modestia: Alius malus, ut, vitium.

Quæ ad secundam speciem Qualitatis, quæ potentias naturales complectitur, referenda?

Naturales affectus, *ἢ ἕως ἀσθενούντων*, ut, amor parentum erga liberos, & contra. Item concreta, iustitia in parente nostro primo, cui successit ad desideria sua conversa concupiscentia, quæ est *ἀδυναμία*, imbecillitas, & impotentia naturalis.

In tertia specie; in qua affectus; quid Letitia?

Suavis motus cordis, qui excitatur, cum cor objecto expetito fruitur.

Quid Species?

Suavis motus cordis, qui excitatur, cum cor bo-

cor bonum futurum prosequitur, prælucente cogitatione, quod objecto potituri simus.

Quid Tristitia?

Cruciatu cordis compressi, tanquam fugitantis præsens malum.

Quid Metus?

Cruciatu cordis compressi, tanquam fugitantis futurum malum.

In quarta specie quod est discrimen inter formam & figuram?

Forma animatorum est, Figura inanimatorum, & artificiosorum.

Quæ sunt Qualitatis attributa seu proprietates?

1. Contrarietas propriè est qualitatum inter se pugnantium, ut caliditas, & frigiditas, quæ sunt sub eodem genere.
2. Qualitas recipit magis & minus, ut calor in eodem corpore aliàs major aliàs minor est.
3. Multæ relationes oriuntur ex qualitatibus, ut, Simile, dissimile.

RELATIO.

Vndenam ortum habent Relativa?

Ex absolutis, τοῖς ἀπολοιῖς, quæ sunt nomina significantia, aut substantias, aut quantitates. Significat enim res certas, quæ per se, καὶ ἐν τῷ, cogitari possunt, cum relativa sint, quæ

quæ *χωρῆς ἑτέρας* intelligi nequeant, hoc est,
aut ordinationes significant, aut collationes,
aut applicationes.

Declara exemplis?

Pater est substantia. Paternitas, ordo ejus
qui genuit ad genitum. Æquale est quanti-
tas, respondens alteræ quantitati. Æqualitas
duarum quantitatum convenientia, quæ colla-
tione intelligitur. Caliditas est qualitas. Cale-
factio est applicatio, qua transfertur caliditas
in aliud.

Quotuplicia sunt Relativa?

Alia sunt relativa secundum dici, *ἢ τὸ λέ-
γεσθαι*: alia secundum esse, *ἢ τὸ εἶναι*.

Quæ vocantur secundum dici?

Absoluta, quibus adhæret respectus, ut,
Caput corporis est caput. Fides apud Apostolum est
meriti Christi, seu misericordia, quam intuetur fides.

Quæ secundum esse?

Propriè relativa, quorum tota vis in mu-
tua affectione sita est, ut, Pater, Filius: Magister,
discipulus.

*Nihilne præterea in hoc Pradicamento
scitu dignum?*

Multa sanè, sed in primis illa regula. Fun-
damentum vocatur materiale, *ὕλικόν*, relatio-
num. Formale verò *τὸ εἰδικόν*, ipse ordo ad ter-
minum, ut, materiale liminis est Lapis: formale, ipsa
ordinatio ad distinguendos agros. *Quis*

Quis usus hujus Regulae?

Vt sciamus; saepe manere fundamenta, extinctis relationibus, hoc est, formali, ut, *Lapis in agro relinquitur, etiamsi non amplius fungatur liminis officio.* Sic in Baptismo remittitur formale, hoc est, reatus: materiale, qui moribus est naturæ, manet, licet non imputetur, ut loquitur Propheta.

Quid de sex reliquis Prædicamentis?

Videri ea quibusdam ad locos argumentorum pertinere: qui quidem unâ cum relatione (pro qua substituunt actionem) Substantiz ea, Quantitati & Qualitati includunt. Verùm, quod tamen ad rationem compendij attingit, priore parte satis de ijs explicatum arbitramur.

Quis est usus Prædicamentorum?

Geminus; Vnus Dialecticus, alter Rhetoricus.

Qui Dialecticus?

1. Discernunt Substantiam ab accidentibus, & discriminant absoluta à relativis.
2. Monstrant ubi, & in quibus quasi nidis & domicilijs quærenda sint genera, ut rectè definiamus, & dividamus.

Qui Rhetoricus?

Quo simplex quaestio per singula prædicamenta deducitur. Vt cum de homine dictu-

rus sis, dicas primum de substantia ejus : deinde de magnitudine corporis : postea de qualitatibus : ad hæc de relationibus : præterea quid agat : quid patiatur : postremò, ubi, quando, sedeat, an stet ; togatus sit an palliatus.

FINITIO.

Quæ sunt bonæ definitionis leges ?

1. Ne definitio sit angustior, & ætior definitio : ut, *Orator est dicendi peritus, deest, vir bonus.*
2. Ne redundet, & latius vagetur definitio, quàm definitum, ut, *Philosophia est, rerum humanarum, divinarumq; scientia.*
3. Ut propria sit, carens ambiguitate, ut, *Tyrannus est Lupus.*

Quid Boëtius utile esse censet in definitione Essentiali ?

Si ducatur illa inde usq; à summo genere, ut, *Homo est substantia corporea, mixta perfectè, animata, sentiens, rationis compos.*

Suntne Substantiarum tantum definitiones essentialia, sciòdes ?

Sunt etiam accidentium, ubicunq; videlicet disertè genus, & differentia specifica, vel differentia loco proprietatis aliqua accommodata nominari potest, ut, *virtus est habitus inclinans voluntatem ad obediendum rectæ rationi.*

Da

*Da exempla aliquot definitionum
causalium?*

Scholasticus, est persona ordinata voluntate Dei, ad discendam doctrinam generi humano necessariam de Deo, & alijs rebus bonis.

Lex, est Dei inventum, atq; donum, decretum virorum sapientum, correctio delictorum consulto, vel inconsulto commissorum, urbis commune pactum, secundum quod omnibus civibus convenit vivere.

Quæ definitiones ad causales pertinent?

1. Quæ ex proprijs operibus, & officijs constant, ut, *Poeta est vir bonus, numine divino afflatus, utilem de Deo, & moribus doctrinam tradens.*
2. Relativorum. In his enim alterum alterius causa est, ut, *patronus est, qui clientem defendit.*

Da exempla definitionum ex partibus?

Philosophia, est cognitio artium dicendi, Mathematicum, Physices, & doctrinæ de moribus: quæ acie humanæ mentis intelligi, & judicari potest.

Medicina, est scientia, quæ morbos aut victu, aut medicamentis, aut manu curat.

Ius civile est, quod in legibus, senatusconsultis, rebus judicatis, jurisperitorum auctoritate, edictis magistratum, more, æquitate consistit.

Da

De ex Accidentibus?

Homo, est animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij. Cicero. *Kuvos & al. Q.*, est frutex major rubo, arboris instar, aculeis circa virgas robustis, fructum ferens similem nucleis olivarum, sed rubentem cum maturescit, natura intus laevis.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum.

Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo, &c. Virgil.

DIVISIO.

Quid apud Platonem de Divisione Socrates?

Si nactus fuerit ducem, qui rectè partiri sciat, se ipsius, tanquam Dei, vestigia secuturum.

Da aliquot Divisionum exempla?

Natura alias bestias nantes, aquarum incolae esse voluit; alias volucres, caelo frui libero; Serpentes quasdam; quasdam esse gradientes.

Quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua. aut enim in perspicentia veri, solertiaq; versatur: aut in hominum societate tuenda, tribuendoq; suum cuiq;, & rerum contractarum fide; aut in excelsi atq; ioviecti animi magnitudine, ac robore: aut in omnium, quae fiunt, quaeq; dicuntur, ordine, & modo.

1. *Offic. Ego sic existimo, in summo imperatore qua-*

D

1407

hor has res inesse oportere: Scientiam rei militaris,
virtutem, auctoritatem, felicitatem. Idem pro Mu-
rena.

METHODVS.

*Quis est omnium eorum, quæ hæcenus tra-
dita sunt, usus?*

Is, quem Methodus docet.

Quid est Methodus?

Via, seu ordo explicationis thematum
simplicium, definitione & divisione.

Quæ sunt Methodi Quæstiones?

1. Quid nomen significet, was es heisse.
2. Quid res sit, was es sey.
3. Quæ Species, aut partes, wie weit sich
ausbreite/ und was es in sich begreiffe.
4. Quæ causæ, wer/ woraus/ wie/ worzu es
gemacht sey.
5. Quæ officia, seu effectus, was sein eigene
würckung sey.
6. Quæ adiacentia, anhang.
7. Quæ cognata, was ihm verwandt.
8. Quæ pugnata, was dawieder.

Da exempla aliquot?

VIRTVS.

Quid significat virtus?

Virtus, à viris nomen est mutuata inquit
Cicero, Græcis ἀρετή.

Quid

Quid est virtus?

Habitus voluntatis bonus, inclinans ad agendum secundum legem naturæ.

vel:

Virtus est affectio animi constans, conveniensq; , laudabilis efficiens eos, in quibus est. Cic.

Quæ sunt virtutis partes?

Habitus non secantur in partes.

Quæ igitur species?

Prudentia : Iusticia : Fortitudo : Modestia.

Quæ causæ?

Efficiens principalis: mens rectè judicans, & voluntas obtemperans recto animi iudicio.

Adjuvantes causæ : Bonæ inclinationes naturales, doctrina, disciplina. Materia in qua, seu subjectum, voluntas & cor. Materiam ex qua accidentia non habent. Finis, secundum Philosophos, ipsa honesta actio, secundum Ecclesiam, honor Dei.

Qui effectus?

Tranquillitas cordis, secundæ eventus, utilitas, pax publica.

Quæ adiacentia?

Gloria, quæ est honestorum rectè iudicantium comprobatio, odium malorum, pericula, divina defensio.

D 2

Quæ

Qua cognata?

ἄνορα Πνεύμα virtutum semina: indoles
in pueris.

Qua pugnancia?

Omni virtuti vitium contrario nomine
opponitur. Cicero.

NOBILITAS.

Quid significat Nobilitas?

Nobilitatis vocabulum & ad laudem, &
ad dedecus plurimum valet. Sic nobilis Poëta:
nobile facinus. Apud Germanos ab aquila no-
men sortita est nobilitas, adler / adel.

Quid est Nobilitas?

Nobilitas est gloriosæ stirpis vetustas, or-
tum habens vel à divino aliquo principio, vel
præclara majorum virtute, vel artis alicujus
præstantia, humanæ societatis causa compro-
bata.

Qua sunt species Nobilitatis?

Tres, ut tradit Aristoteles, familiæ, civi-
tatis, gentis. vel, ut alij, Generis, virtutis, ar-
tis seu professionis. quibus addatur sanè, No-
bilitas ex inveteratis divitijs, seu crumena &
arca.

Qua Causa?

Generis antiquitas, & diuturna ejusdem
comprobatio: majorum virtus continuata, &
exculca

exulta à posteris: artes, & literæ: opes comparatæ patrimonij, affinitatibus, metallis.

Qui effectus?

Actiones, & præclara facta. ut, Tyrocinium exercitationum militarium, honores, victoria, triumphus, sub magistris literarum industria, scriptiones, poemata.

Quæ adiacentia?

Studium honestatis, virtutis, fortitudinis, amor veritatis, literarum, literatorum, horum appetentia, cupiditas honestarum exercitationum, & quæ sunt ejusdem generis.

Quæ cognata?

Præstantia naturarum in unoquoque genere, ut, fructibus, animalibus, locis.

Quæ pugnantia?

Obscuritas generis, honestatis odium, Virtutis, & literarum contemptus, centaurica effrenatio, habitudo polyphemica, vita dissoluta, ementita nobilitas.

POETA.

Quid significat Poeta?

mensuris, *Don't E' mien*, qui facit carmina, & qui versus componit.

Quid est Poeta?

Vir bonus, dicendi, atq; imitandi peritus, qui quod propositum fuerit, numerosa oratio-

D 3

ne

ne copiosè, prudenter, excellenterq; docen-
di, delectandi, & movendi gratia effingit.

Quæ sunt poëtæ partes?

Eadem, quæ & hominis.

Quæ species?

Poëtarum alij divino numine impellun-
tur, ut, *Hesiodus*. alij ætatibus discernuntur, ut,
Olympus, Orpheus, Phæmius. alij, quas tractant,
materijs distinguuntur, ut, *Homerus, Sophocles,*
Pindarus. alij deniq; linguis discriminantur, ut,
Hebræi, Græci, Latini.

Quæ causa?

Naturalis impetus, Doctrina, Imitatio,
Exercitatio.

Qui effectus?

Vitam, & mores hominum excolere.
Psalterium Davidis, Ilias, & Odyssæa Home-
ri, Æneis Virgilij.

Quæ adiacentia?

Celebritas, Laurus, Pro malè natis ver-
sibus regale numisma Philippi. *Homerus,*
Mæonides nullas ipse reliquit opes.

Quæ cognata?

Vaticinatio, vis oratoria, Musica, pictura,
statuaria.

Quæ pugnancia?

Aurora, stridenti miserum stipula disper-
dere carmen.

PRO-

PROPOSITIO.

Quid Propositio modalis?

In qua copulae annectitur aliquis horum modorum. Necessse, Possibile, Impossibile, Contingens.

Quid Necessse?

τὸ ἀναγκαῖον, quod aliter se habere non potest, ut, *Hominem esse animal* necessse est.

Quid possibile?

τὸ δύνατον, quod fieri, vel esse potest, ut, *Possibile est juvenem vigentem, & valentem, hodie mori.*

Quid Impossibile?

τὸ ἀδύνατον, quod planè fieri non potest, ut, *Impossibile est, seu fieri nequit, ut anima hominis sit mortalis.*

Quid Contingens?

τὸ ἐνδεχόμενον, fortuitum, quod cum fit, causam habet, quæ poterat natura sua aliter agere, ut, *Aeneas contingenter vicit Turnum.*

STLLOGISMVS HYPOTHETICVS.

Quot sunt Propositionis Hypothesicæ species?

Tres. Copulativa, Disjunctiva, Conditionalis.

D 4

Quid

Quid copulativa?

Coniuncta, συντιθεμένη λέγουσιν ἢ ἔστιν quam
copula coniungit, quæ tamen non omittitur,
ut, Et Cicero orationem habet, & Milo defenditur.

Velle suum cuiq; est, nec voto vivitur uno.

Dic regulam de veritate copulativa?

Ad veritatem copulativæ requiritur, ut
utraq; sit vera.

Quomodo fiunt inde Syllogismi?

A tota copulativa ad quamlibet ejus par-
tem bona est consecutio.

Da exempla?

Et politicus ordo Dei beneficium est, &
accedunt tamen in imperijs multæ confusio-
nes, quæ à Deo ortum non habent.

Sed hæc tota vera est.

Ergo, Confusiones imperiorum non sunt
à Deo.

Quid Disjunctiva?

Disjunctiva, διαζευγμένη, in qua duæ pro-
positiones junguntur per particulam disjun-
ctivam, ut, Aut voluptas est finis hominis, aut virtus.
Aut odit, aut amat mulier, nihil est tertium.

Dic regulam de Disjunctivis?

Ad veritatem Disjunctivæ, satis est alte-
ram partem esse veram.

Quomodo fiunt inde Syllogismi?

Initio tanquam loco majoris ponitur tota
Disjunctiva.

Disjunctiva. Deinde unius partis remotio minor est. Manet ergo asseveratio reliquæ partis, quæ est conclusio.

Da exemplum?

Aut propter legem recipimur in gratiam,
aut propter Filium Dei.

Sed propter legem non recipimur.

Ergo, Propter filium Dei.

Quid Conditionalis?

Connexa, *Κωμμηθησιν αξίωμα*: cui præponitur particula Si, ut, Si pluit, terra madescit.
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Dic regulam de veritate Conditionalium?

Conditionalis nihil asseverat, nisi posita causa, vel modo in antecedente.

Quomodo fiunt ex conditionalibus

Syllogismi?

Affirmativè & negativè.

Da exempla?

Affirmativè retinetur Antecedens, ut retineatur Consequens. ut,

Si homo est, animal est.

Sed homo est.

Ergo, animal est.

Negativè tollitur consequens, ut tollatur Antecedens. ut,

Si homo est, animal est.

D s

Sed

Sed animal non est.

Ergo, nec homo.

REGVLÆ CONSEQUEN- TIARVM SPECIALES.

Quid est bona Consequentia?

Ακολουθια, Consecutio, talis est connexio
Propositionum, quæ non offendit in aliqua re-
gula Dialectices.

Recita regulas Consequentiarum?

I.

Ex universali rectè sequuntur suæ parti-
culares, & suæ singulares, ut Stat sua cuiq;
dies. Ergo & Pallanti. Sed non è contrario,
aus einem Stück durchaus / und ins gemeine
schliessen / gilt nicht / ut, Dionysius superior, &
Tyberius habuerunt placidos exitus. Ergo, omnes ty-
ranni placidè moriuntur. Hoc multis exemplis refu-
tatur. Et una hirundo ver non facit, ut & unus vir,
est nullus vir.

II.

Quicquid sequitur ad consequens bonæ
consequentix, sequitur & ad antecedens, ut,
Omnia officia politica sunt concessa Christianis. Ergo
iudicia sunt concessa, Et ex consequenti, lingare in
foro prohibitum non est.

III.

Ab eo, quod inest per se (natura κατ' αὐτὸν)
ad aliud, quod per accidens, (fortuita occa-
sione

sione) accedit: non est bona consecutio: nec
contrà, ut:

*Temperantia est bona,
Febris affert temperantiam.
Ergo, Febris est bona.*

IV.

*Pugnantia (μαχόμενα) non attribuuntur
uni, & eidem simul, & respectu ejusdem, ut,
Evangelium prohibet discerni cibos, & dies, Medici
jubent discerni. Hæc non pugnant, quia fines
sunt diversi, alter superstitiosus, alter artifi-
ciosus.*

V.

*Duæ contrariæ qualitates graduum excel-
lentium, (qui sunt maximè vehementes) non
sunt simul in eodem subjecto, ut, Aqua valde
calefacta, non potest simul esse frigida. Sed in gra-
dibus remissis, in eodem subjecto contrariæ
qualitates inter se luctantes esse possunt, ut,
Cum remittit calor in aqua, frigiditas, quæ naturalis
qualitas, paulatim recipit vires, & rursus extinguit
calorem. Sic in crepusculo lux sunt & tenebræ.*

VI.

*Inter contrarias posita & affirmata una
qualitate in gradibus excellentibus, remove-
tur contraria qualitas, ut, valet consequentia.*

Paries est niger. Ergo, Non est albus.

Tristis est. Ergo, Non est lætus.

*Sed contrà, remoto uno contrario, non
oportet*

oportet pont alterum, præsertim in contrarijs
mediatis (intermedijs) ut, non valet consequentia.
Vestis non est alba. Ergo, est nigra.

VII.

Omnia pugnancia opponuntur, non ju-
xta genus, aut communia accidentia, ut, non
valet consequentia.

Calor est qualitas.

Igitur frigiditas non est qualitas.

Pater est robustus.

Ergo, Filius non est robustus.

Sed juxta differentias fiat oppositio. Pa-
ter differt à filio hac naturali differentia, quod
pater genuit, & filius est genitus. Valet igitur
consequentia. Zacharias genuit Iohannem Bap-
tistam. Ergo, fuit pater Baptistæ, & Baptistam fuisse
filium necessariò sequitur.

VIII.

Cum ex causis non sufficientibus (satis
momenti habentibus) affirmamus sequi effe-
ctum, Non valet argumentum, ut, Pompejus ha-
bet exercitum parem multitudino exercitui Iulij:
Ergo vincet.

IX.

Quod causa est, ut quicquam sit tale, id
eiusmodi magis est, ut:

Aqua propter ignem calet.

Ergo, Ignis magis calet.

Avarus appetit navigationem propter lucrum.

Ergo, Lucrum magis appetit.

Sed

Sed in materiali causa, & formali, consue-
tudo sermonis uti ac regula prohibet. ut, Do-
mus est lignea.

Ergo, Ipsum lignum magis est ligneum.

Cyrus est clemens propter clementiam.

Ergo, clementia magis est clemens.

Concreta enim non dicuntur de abstra-
ctis. Nec valet hæc regula in efficientibus, mi-
nus principalibus, remotis partialibus, ut nec
de effectibus, qui sunt privationes, ut,

Ovidius est Poëta propter præceptorem.

Ergo, Præceptor magis fuit Poëta.

Et: Tyberius insanit propter vinum.

Ergo, vinum magis insanit.

X.

Ex non sufficienti, hoc est, integra enu-
meratione partium, non valet argumen-
tum, ut: t.

Iura Mosaica & Vetera Romana non sus-
pendunt furem.

Ergo, Fur non est suspendendus.

Nam leges Imperatorum recentium ju-
bent suspendi furem.

XI.

A divisis ad conjuncta valet consequen-
tia, si natura patitur conjungi accidentia, ut:

Demades est orator, & est facetus.

Ergo, est facetus orator.

Sed non valet consequentia cum conjun-
guntur

guntur accidentia animæ & corporis, aut res
alioqui discrepantes, ut,

Tyræus est claudus, & est Poëta.

Ergo, Est claudus Poëta.

XII.

Ab est tertij adjecti (copula) ad est secun-
di adjecti (prædicatum) valet consequentia,
cum accidens positivum de substantia prædi-
catur, ut:

Paries est albus.

Est igitur paries.

Sed non valet hæc forma in privativis &
Idæis, ut:

Plato est mortuus.

Est igitur Plato.

XIII.

Dici de aliquo, requirit inesse. quod ve-
rum est tantum de accidentibus positivis; &
durabilibus, ut:

Alexander est fortis.

Est igitur in eo fortitudo.

De actionibus transeuntibus verum est,
oportere eas affuisse, ut:

Harpalus est fur,

Igitur, furatus est.

XIV.

Talia sunt subjecta, qualia à prædicatis
esse permittuntur, non absurde, sed dextrè in-
tellectis, ut:

Paulus

Paulus est pictus, Imago intelligitur, non substantia viventis.

XV.

In interpretatione vitanda est absurditas. Est autem absurdum, quod pugnat cum experientia, & principijs natura notis, ut:

Tyrannus est lupus.

Ergo est brutum.

XVI.

Ex vero nil nisi verum sequitur, & verum vero consonat. Quare cum bona consequentia sequitur, falsa aut absurda sententia ex aliquo dogmate, necesse est in præmissis, aut in hypothese, hoc est, in materia ad asserendum allata, errorem esse.

XVII.

Dato uno inconvenienti, & quod à ratione abhorret, sequuntur infinita, ut:

Davidis lapsum quot mala secuta sunt?

Deerratio semel commissa in infinitum procedit.

XVIII.

A possibili, hoc est, eo, quod fieri potest, ad inesse, non valet consequentia, ut:

Deus potest tuum stannum mox vertere in aurum.

XIX.

A converso, ad convertentem, & contra, valet consequentia, ut:

Omnis

Omnes electi vocantur.

Ergo, Quicumque sunt extra vocatorum ce-
sum non sunt electi.

X X.

Argumentatio ab humanis ad divina va-
let ab ordinatione cœlesti, ut :

Rechabita obediunt patri suo :

Quanto vos magis mihi ?

Sed ab effectibus depravatis non valet, ut :

Minus bonum diligo.

Ergo, majus bonum magis diligo.

X X I.

Inepta est consequentia à præcepto ad o-
pus, à debere ad posse, à mandato ad vitam.

X X I I.

Non valet consequentia, mutato genere
prædicationis usitato in peregrinum, seu iau-
fitatum, ut :

Omnis caro est creatura.

Verbum est caro.

Ergo, verbum est creatura.

X X I I I.

Ab impietate hominum ad Dei veritatem
consecutio non valet, ut :

Epicurus non credit mundum à Deo esse
constitutum,

Ergo, Deus non est opifex & effector
mundi.

TOPI-

TOPICA.

Quid est τόπος, seu locus?

Locus est sedes, seu index argumenti.

Quid argumentum?

Oratio quæ fidem facit, *πίστις*.

Quæ est divisio locorum?

Loci alij sunt personarum, alij rerum.

Qui Personarum?

Personarum τῶν προσώπων loci seu attributa sunt, patria, sexus, parentes, educatio, mores, vitæ genus, res gestæ, Eventus, Ætas, Mors.

Quid patria?

Solum natale, ubi quis in vitam est ingressus.

Quæ est hujus loci Regula,

τὸ στοιχεῖον?

Patria benè morata auget decus. Contrà malè constituta in probro obijcitur, ut:

Bœotum in crasso jurares aëre natum. Horat: Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est.

Quid sexus?

Discriminatio naturæ.

Quæ regula?

Alia masculino generi, alia Fœminino conveniunt, ut, oratio viris cura sit. Varium & mutabile semper femina. Virg.

E

Quid

Quid Parentes?

Oi *ματρες*, & *θεταροι*: quibus aliquis natus est.

Quae regula?

De natis iudicatur ex parentum naturis & moribus, ut:

Fortes creantur fortibus & bonis. Horat.

Mali corvi malum ovum.

Quid Educatio?

Αγωγη, & *αδασια*, institutio & doctrina puerilis.

Quae regula?

Studia abeunt in mores; & consuetudo est altera natura, ut:

Ingenium verè placida molliitur ab arte,

Et studio mores convenienter eunt. Ovid.

Quid Mores?

Habitus animi & corporis.

Quae regula?

Summus bonorum gradus honestum est: Et, Semel malus semper malus esse praesumitur, ut:

Clodius nunquam non jura & leges contempsit.

Dubitandum est igitur, an Miloni fecerit insidias.

Quid vitae genus?

Professio, officium, artificium.

Quae regula?

Laudantur vitae genera à Deo ordinata, & alia

& alia actiones alijs conveniunt, ut, servam
hominem causam orare leges non sinunt. Terent.

Quid res gesta?

ei *regis*, acta, egregia facinora.

Quae regula?

Virtutis laus omnis in actione consistit,
ut: David praeliatus est pro populo divino. Merito
igitur laudatur.

Quid Eventus?

In rebus gerendis felicitas.

Quae regula?

Bona consilia plerumq; sequuntur exitus
salutares; Et: Mores sui cuique fortunam fin-
gunt, ut:

Qui gladium acceperit, gladio peribit.

Quid Aetas?

Temporis, quo quis vixit diuturnitas.

Quae regula?

Alia alijs aetatibus conveniunt, ut,

Qui vestram Rempub. amisistis tam cito?

Proveniebant oratores novi, stulti, adolescentuli.

Quid Mors?

Ab hac vita discessus.

Quae Regula?

Modesti plerumq; placida morte extin-
guuntur, ut, Non est mirum Caligulam, Neronem,
Commodum miserè perisse. Ad Ceveris enim gene-
rum sine cade & sanguine pauci, Descendunt reges, &
sicca morte tyranni.

B 2

Quos

Quot sunt loci Rerum?

Definitio, Genus, Species, & qui enumerantur, reliqui.

Quare locus Definitionis primus est?

Quia omnis disputatio à brevi explicatione rei, de qua est disceptatio, proficisci debet.

Qua est huius loci Regula?

Cui attribuitur Definitio, eidem competit definitum, & contra. Item, à quo removetur Definitio, eidem & definitum adimitur, & contra.

Da exempla?

Est habitus animi rectæ rationi consentaneus.

Ergo, est virtus.

Et. Est virtus.

Ergo, etiam est Habitus animi rectæ rationi consentaneus.

Non est animal rationis particeps.

Ergo, non est homo.

Et. Non est homo.

Ergo, nec animal rationis particeps.

Quomodo à genere argumentamur?

Negative solum, ut:

Lapis non est animal.

Ergo, non est homo.

Dic Regulam?

Cui adimitur Genus, eidem adimitur &
Species, ut: Teme-

Temeritas non est virtus.

Ergò, Nec fortitudo.

*Quid si particula universalis addatur
ad Genus?*

Tum verò etiam affirmativè licet argu-
mentari, ut :-

Omnis virtus est laude digna,

Ergò, & modestia.

Deus est ubiq;

Ergò, apud nos quoq;

Quomodo ratiocinamur à Specie?

Affirmativè solummodò, ut :

Homo est,

Igitur animal est.

Qua regula?

Posita & affirmata specie, genus poni &
affirmari necesse est, ut :

Fagus est, Ergò, arbor est.

Quomodo à Differentia?

Affirmativè & Negativè, ut :

Spongia sentit,

Est igitur animal.

Ratione caret,

Non est igitur homo.

Qua regula?

Affirmationem Differentiæ, sequitur affir-
matio Speciei, quam constituit, & negationem
negatio, ut :

E 3

Differit

Differit probabiliter de re qualibet :

Est igitur Dialecticus.

Non loquitur latine.

Quare non est Grammaticus.

Quomodo à Proprio ?

Eadem & ratione, & regula, qua à differentia, ut :

Latrat, Ergo est canis.

Non potest loqui, Non est igitur homo.

Qua conjugata ?

Verba ejusdem generis, qualia sunt, quæ orta ab uno, variè commutantur, ut, Iustus, Iusticia, Iustè.

Da exemplum ?

Homo sum : humani à me nihil alienum puto. Terent.

Qua Regula ?

Cuicunq; unum conjugatorum congruit, eidem etiam congruunt cætera, ut, Si Philosophia tantopere laudatur, Erri & Philosophus aliquo honore dignus.

Quid totum ?

Res universa, πῶλον, ut Respub. Romana.

Quid Partes ?

Τὰ μέρη, hoc est, ἡ ἄλλη ἀντίπροπον, ut, Senatus, Ordoequester, Plebs.

Quomodo ex hoc loco argumentamur ?

Affirmativè, & Negative.

Quæ

Qua Regula?

Posito toto, necesse est poni principales partes, Et negata aliqua principali parte negatur totum. ut,

Tota Respublica perijt,
Ergo, nulla ejus pars salva est.
Et. Huic adificio deest telum,
Non est igitur domus.

Quid causa?

Aritia, cum nov, cujus vi aliquid evenit, vel qua posita, sequitur effectus, Et, qua non posita, effectus existere non potest.

Quomodo argumentamur ab efficiente causa?

Non genuit Trojanus.
Ergo, Trojano non fuit filius.
Et. Sol oriur. Ergo lucefcit.

Qua Regula?

Causa negata, & effectum negari necesse est. Et Causa posita, quin effectus ponatur, fieri non potest.

Quomodo à materia?

Non habuit ligna,
Non potuit igitur adificare Navem.

Qua Regula?

Sublata materia, tollitur effectus.

Quomodo à Firma?

Globus est rotundus,
Ergo, est volubilis. E 4. Quo.

Quæ Regula?

Forma dat esse rei : cujus est perfectio , & absolutio.

Quomodo à Finali?

Arcem defendere vult, à subita hostium impressione. Ergo eam munit.

Quæ Regula?

Nihil frustra fit , & omnia agunt propter finem.

Quid effectus?

ut à natura, quæ vi , & impulsu causarum eveniunt, Eventa.

Quomodo hic argumentamur?

Ab effectu causæ efficientis, ut :

Dies est. Ergo, sol ortus est.

A materiæ, ut, Scyphus liquitur.

Non est igitur ligneus.

A formæ, ut, volubilis est globus.

Igitur est rotundus.

A finis, ut :

Agri vastati sunt, & ferro cæsi aratores.

Fuit igitur bellum.

Quæ Regula?

Effectu posito, causas poni necesse est.

Quæ dicuntur pugnancia?

Pugnancia, *μαχόμενα*, seu opposita *ἀντιμαχόμενα*, quæ & contraria ac dissentanea, sunt quæ de eodem simul affirmari non possunt.

Quor

Quot sunt horum species?

Quatuor. Adversa, vulgò Contraria,
Relative opposita, opposita Privativè, Con-
tradictoria.

Quid Adversa?

Adversa, *Ἐναντία*; sunt duæ qualitates, quæ
non possunt simul in eodem subjecto existere,
ut, Calor, frigus. Virtus, vitium.

Quomodo argumentamur ab Adversis?

Aqua calida est, Non est igitur frigida. Ad
perferendos studiorum labores necessaria est frugali-
tas, Quid ergo est luxuria spei? *Quinil.*

Qua Regula?

Adversorum uno affirmato alterum tol-
litur.

Quid Relative opposita?

Aliò relata, *παρὰ ἀλλήλα; ἀντιπρόσθεντα*, quæ
sefe mutua affectione respiciunt, ut:

Pater, filius. Dominus, servus.

Quomodo à Relativis argumentamur?

Zacharias est Iohannis pater,

Ergo, non est hujus filius.

Davus est Simonis servus,

Non est igitur Dominus.

Qua Regula?

Relative opposita non cadunt in idem
subjectum, respectu ejusdem. Et posito rela-
tivo, necesse est poni correlativum.

E s

Qua

Qua opposita Privativè?

Privantia, ἀπορροια, quæ habitum, ἔξις, ejusq; absentiam, ἀπουσιαν significant, ut, cæcitas, visus. Lux & tenebræ.

Quonam modo hinc argumentamur?

Cæcus est, Ergo non videt.

Bonum liberi, Ergo misera orbitas. Cic.

Qua Regula?

Privativorum alteroposito & affirmato, alterum tollitur.

Qua contradictoria?

Negantia ἀποφασις, contraria agentibus, sunt propositiones, inter quas nullo modo convenit, ἀποφασις ἢ καταφασις, ut, Sol movetur, sol non movetur.

Quomodo hinc argumentamur?

Si vera est propositio. Cicero est eloquens.

Falsa est illa, Cicero eloquens non est.

Qua Regula?

Fieri non potest, ut duæ contradictoriæ, in quibus non est ambiguitas, simul veræ sint, aut simul falsæ. Quare una recepta, alteram necesse est rejici.

Quid Comparatio?

Comparatio, σύγκρισις, καὶ τὰ σύμμετρα, cum causæ alicujus rei inter se componuntur.

Quomodo hinc argumentamur?

A Pari, à Majorè, à Minore.

Da.

Da exemplum à Pari ?

Paria, *ἰσῶν*, sunt, ut, si docere, quæ scias, non est turpe; nec ea, quæ nescias discere flagitiosum. Quando ego non curo tuum, nec tu cura meum. Terent:

Quæ Regula ?

De paribus, & similibus idem est iudicium.

Da à Majore ?

A Majore, *ἐκ τοῦ μείζονος*, Minus negativè colligitur, ut, Parenti non obtemperat. Ergo, nea parebit alieno.

Cicero non persuasisset, quanto minus tu.

Quæ Regula ?

Quod in re majori non valet, id neque in minori valet, ut:

Rex non potest expugnare arcem.

Ergo, Multo minus aliquis inferior præses.

Da à Minore ?

A Minore, *ἐκ τοῦ ἡττοῦ*, majus affirmativè colligitur, ut:

Licet Sabbatho bovem servare.

Ergo, multo magis hominem.

Quæ Regula ?

Quod in minore valet, valeat in majore, ut:

Si fera partus suos diligunt,

Qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus ?

RATIO

RATIO SOLVENDI VI-
TIOSA ARGUMENTA.

Quot modis solvuntur Sophismata?

Duobus. Aut enim vitium est in forma,
aut in materia.

*Quomodo solvitur argumentum cum vi-
cium est in forma?*

Reprehensione consequentiæ reiicien-
dum est.

Da exemplum?

Omnes scelerati aliquando affliguntur.

Iob affligitur,

Ergo, Iob est sceleratus.

Nego Consequentiam, quia in secunda
figura ex puris affirmativis nihil sequitur.

*Quomodo, cum vitium est in materia,
seu rebus?*

Tribus modis. Vel inficiatione ἀενήσεις:
vel distinctione, διακρίσεις: vel instantia, ἐνστάσεις.

Quomodo Inficiatione?

Cum alterutra Propositio falsa est, tum
neganda est: & fons erroris monstrandus, ex
definitione, causis, effectibus, & cæteris lo-
cis, ut:

Non decet fucus Philosophos,

Eloquentia est fucus, & accersitus ornatus
inutilis.

Ergo,

Ergo, Eloquentia non decet Philosophos.
Nego Minorem. Nam definitio falsa est.
Eloquentia enim non est fucus, sed copiosè lo-
quens sapientia, ut ait Cicero.

Quomodo distinctione?

Cum ambiguitas est in verbis vel rebus.

Da exemplum?

Nullus peccator exauditur à Deo,

Omnes homines sunt peccatores,

Ergo, Nulli homines exaudiuntur.

Respondeo ad Majorem per distinc-
tionem: alij sunt peccatores agentes pœniten-
tiam, alij non agentes pœnitentiam, de quibus
loquitur Major.

Quomodo Instantia?

Cum Propositio aliqua non satis perspi-
cua ratione refutari potest, breviter ea oppo-
sito exemplo rejicitur. ut:

Omne quod sese movet, semper movetur.

Anima sese movet,

Ergo, semper movetur.

Nego majorem, & do Instantiam. Quia
etiam culicis anima sese movet, nec tamen est
perpetua.

Quid est igitur Elenchus Sophisticus?

Est viciosum argumentandi genus, quod
videtur habere veram argumentandi speciem,
tamen habet fallacem, & adulterinam.

Quo-

Quotuplices sunt Fallaciae?

Duplices. Aliæ sunt in dictione, *παρὰ τὴν λέξιν*, ubi viciū oritur ex genere sermonis: aliæ extra dictionem *ἔξω τῆς λέξεως*, ubi res ipsa malè coheret.

Quot sunt Fallaciae in dictione?

Sex. Equivocatio, Ambiguitas, Compositio, Divisio, Figura dictionis, Accentus.

Quid est AEquivocatio?

Æquivocatio, *ἀμυμονυμία*, est vocis ejusdem varia significatio, ut:

Brachium est corpus,

Deus habet brachium,

Ergo, Deus est corporeus.

Nego consequentiam, & ratio est, quia est Fallacia æquivocationis. In Majore brachium propriè dicitur de brachio quale est humanum: In Minore Metaphoricè significat potentiam, seu robur, seu efficaciam.

Quid ambiguitas?

Ambiguitas, *ἀμφιβολία* est, ubi syntaxis, aut plura verba errorem pariunt. Cujusmodi est illud Apollinis oraculum, quod ex Ennio citat Cicero. *Ajō te Æacida Romanos vincere posse.* Id enim utroq; modo intelligi potest, *Pyrrhus vincet Romanos, aut Romani vincunt Pyrrhum.*

Quid Compositio?

Compositio, *σύνθεσις*, est conjunctio eorum, quæ non erant jungenda, ut: *Quic.*

Quicquid est in mea domo, est in oppido.

Unicus fons est in mea domo.

Ergo, unicus fons est in oppido.

Neganda est consequentia, quia ambiguitas est in compositione particulae unicus, quae non debet referri ad praedictatum (in oppido)

Aliud.

Fides sine operibus homines justificat.

Fides sine operibus est res mortua.

Ergo, Res mortua justificat.

Respondeo. Mala est compositio in particula, sine operibus: quae in maiore praedictatum, in minore subjectum determinat, & ita ambiguae usurpatur.

Quid divisio?

Divisio *disiunctio*, est eorum quae componi oportet disjunctio, atque huc pertinent omnes mutilatae citationes testimoniorum.

Da exemplum?

Omnes sapientes Graeciae sunt septem.

Solon & Periander sunt sapientes Graeciae.

Ergo, Solon & Periander sunt septem.

Aliud.

Angelis suis (inquit Satanas ad Christum) mandavit, ut te manibus tollant, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Ergo, de pinnis templi te precipita, & per aërem vola.

Respon-

Respondeo. Mutilata est textus citatio, in qua malitiosè omittitur postremum membrum in vijs tuis, id est, in legitimo munere, in quo Deus te constituit.

Quid figura Dictionis?

Figura dictionis, *αἰμα τῆς λέξεως*, est cum error oritur ex depravatione casuum, aut generum, aut ex syncategorematum, ut, *prepositionum & conjunctionum abusu*, aut ijs, quæ posita sunt *τεχνικῶς*, quo pertinent etiam *αιερολογία*, *καταχρησῆς*, & similes figuræ.

Da exempla?

Cafeus est nequam,

Tu es cafeum,

Ergo, es nequam.

Aliud.

Mus rodit cafeum,

Mus est Syllaba,

Ergo, Syllaba rodit cafeum.

Respondeo. In Majore ponitur vocabulum Mus Significativè, in minore *τεχνικῶς*, vel materialiter.

Aliud.

Deus inquit: Ego indurabo,

Ergo, Deus est causa peccati.

Nego consequentiam, quia est, *αιερολογία* in verbo Indurabo, & significat finam indurescere.

Quid

secundum quid, ad dictum simpliciter. Secundum non causam ut causam. Fallacia consequentis. Secundum plures interrogationes. Petitio principij. Ignoratio Elenchi.

Quid est Fallacia Accidentis?

Fallacia Accidentis, πνεξι τὸ συμβεβηκός, καὶ ἁπολογισμός est, cum idem tribuitur substantiæ, & accidenti, aut malè junguntur accidentia.

Da exemplum?

Peccatum nihil gignit.

Concupiscentia gignit.

Ergo, Concupiscentia non est peccatum.

Respondeo. In hoc argumento generatio, quæ est hominis propria, malè tribuitur accidenti, videlicet concupiscentiæ, quæ est depravatio naturæ hominis, & à Dei opere longissimè secernenda est.

Aliud.

Quicquid emisisti, comedisti.

Crudas carnes emisisti.

Ergo, Crudas carnes comedisti.

Respondeo. Est F. Accidentis. Major loquitur de substantia. Conclusio de qualitate.

Quid est Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter?

Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter ὁ πνεξι τὸ κρείσσον τοῦ ἢ πῆ, ἢ μὴ ἀπὸ τῶν,

αὐτὸν αὖτε, cum ex parte totum, aut ex signo rem
signatam intelligimus, aut superlacione qua-
dam res incredibiliter tollimus.

Da exempla?

Vinum est febricitanti malum.

Igitur vinum prorsus est malum.

Et:

Æthiops est albus dentibus.

Ergo, Æthiops est albus.

Respondeo. A particulari ad universale
seu totum, consecutio non valet.

Aliud.

Hac statua est signum Dei.

Ergo, est numen aliquod.

Nego consequentiam, quia signum non
est res signata.

*Quid Fallacia secundum non causam
ut causam?*

Fallacia ex non causa, quasi ex causa, *παρὰ
τὴν μὴ αἰτίαν, ὡς αἰτίαν*, est cum aut falsa, aut
aliena, aut non sufficiens causa pro vera affer-
tur, ut:

Ebrietas est mala.

Igitur vinum est malum.

Nego Consequentiam. Nam vinum non
est causa immoderati usus, sed mala voluntas
potantis.

F 2

Aliud

Aliud.

Multi Evangelium profitentes dissolutè vivunt,
Ergo doctrina est mala.

Nego consequentiam. Quia vicia profes-
sorum non à doctrina, sed ab alijs causis o-
riuntur.

Quid Fallacia Consequentis?

Fallacia Consequentis, ὁ παρὰ τὸ ἐπιμύθον,
cum in formam peccat argumentum, & viciosa
est consecutio. Huc pertinent regulæ de con-
nexionem Syllogismorum.

Da exemplum?

Omnis stella lucet.

Cometa lucet.

Ergo, Cometa est stella.

Respondeo. In secunda figura ex puris
affirmativis nihil sequitur.

Quid secundum plures Interrogationes?

Fallacia secundum plures interrogationes,
ὁ παρὰ τὸ τὰ δύο ἐρωτηματὰ ἐν πλείων, cum de
uno plura, aut de pluribus unum interroga-
tur, ut:

An mundus sit sempiternus, & Dei providentia guber-
netur.

Et:

An anima & Deus sint immortales.

In ejusmodi quaestionibus cum multiplex
est interrogatio, multiplici etiam opus est re-
spon-

sponse. Quare oportet distinguere res natura inter se diversas, verbis autem conjunctas. Cicero: proprijs & suis argumentis, & admonitionibus tractanda quæq; res est.

Quid Petitio Principij?

Petitio principij, ἢ ἔνδεξις αἰτίας, cum idem ad sui ipsius probationem affertur, aut cum incertum per id, quod æquè incertum est, confirmatur, ut:

Si divinatio est, Dij sunt. Est autem divinatio. Ergo, Etiam Dij sunt. Cicero.

Et:

Aristoteles dicit mundum esse æternum, Ergo, mundus est æternus.

Et:

In purgatorio remittuntur peccata mortuis. Ergo, Sacrificandum est pro mortuis.

Quid Ignoratio Elenchi?

Ignoratio Elenchi, ὁ παρὰ τὴν ἐλέγχου ἀγνοίαν, captatio non animadversa, cum aliquid deest argumento, quo minus auditorem convincat, Ad hunc titulum pertinent omnes captiones aliæ, maximè eæ, quæ ad superiores commodè referri non possunt. Ejus tres præcipuæ species numerantur. *ψευδόμενον*, mentiens, *ἀσώματον*, quasi non consistens, nonnulli vocant insolubile, & *ἀντιστροφον* reciprocum.

F 3

Da

Da exempla?

Cælum tegit omnia,

Ergo, se quoq; tegit.

Respondeo. Antecedens intelligi debet
exclusivè: Cælum tegit omnia, præter
quam se.

Aliud.

*Plato scribit domi, & idem non scribit
foris.*

Ergo Plato scribit, & non scribit.

Respondeo. Pugnancia respectu ejusdem
intelligi debent.

Frutiorum Dialectices
FINIS.



DE

DE DIALECTICÆ
OFFICIO ET VSV.

Cicero V. Tuscul.

Differendi ratio & scientia per omnes partes sapientia manat, & funditur, quæ rem definit, genera dispertit, sequentia adiungit, perfecta concludit, vera & falsa dijudicat, ex qua cum summa utilitas existit ad res ponderandas, tum maximè ingenua delectatio, & digna sapientia. Et paulo ante. Tertius animi fetus existit in iudicando quid cuiq; rei sit consequens, quid repugnans: in quo inest omnium tum subtilitas differendi, tum veritas iudicandi.

Idem 3. de Finib. de Stoicis.

Ad eas virtutes Dialecticam etiam adiungunt, quod habeat rationem, ne cui falsò assentiamur, neve unquam captiosa probabilitate fallamur, eaq; quæ de bonis & malis diceremus, ut tenere, tueriq; possimus. Nam sine hac arte quemvis arbitrantur à vero abduci, falliq; posse. Rectè igitur, si omnibus in rebus temeritas, ignoratioq; vitiosa est; ars ea, quæ tollit hæc, virtus nominata est, &c.

Idem 2. de Finib.

Dialecticâ una continet omnem & perspicientiam, quid in quaq; re sit, scientiam: & iudicandi quale quidq; sit, ac ratione & via disputandi.

Plato de Repub. lib. VII.

Vt ergo miserabilis ille exitus vitetur, providendum erit, ne quis, nisi triginta annos natus, & quidem

quidem cautè admodum & sollicitè has dialecticas rationes degustet. Ita profus. Nonne hæc prudens cautio est, ut iuniores videlicet homines illas minimè tractent? neq; enim te latet, arbitror, ubi primum adolescentes disserendi illam artem atq; rationem capeffunt, ea cognitione continuò ad contradictiones abuti, imitantes eos, qui hanc artem adhibent refutando mendacio, & veritati illustrandæ. Ipsos verò videre est illa facultate exultantiores, conari ut alif alios redarguant, veluti cautuli, ijs cum quibus ipsis res est, disputatione distrahendis & discerpendis.

Ibidem totos quinq; annos perceptioni hujus artis tribuendos censet. Ne quis, minutis his cognitis, statim totam se artem exhaustisse, sibi persuadeat.

Cicero 2. de Finib.

Zenonis est hoc Stoici, omnem vim loquendi in duas tributam esse partes: rhetoricam palmæ, dialecticam pugno similes esse dicebat, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius.







2





